









1348.

1669, 6

f

8

*Q. D. B. U.*  
 Magnifici & Nobilissimi Jctorum Or-  
 dinis consensu in incluta hac SALANA  
 SUB PRÆSIDIO *M*  
 VIRI  
*PræNobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atq, Ex-  
 cellentissimi*

DN. JOH. VOLK. *Bechmanns*/  
 Hereditarii in Obern-Tröbra / Jcti &  
 Antecessoris celeberrimi, Consilarii Saxonici eminens-  
 tissimi, Curia Provincialis, Facultatis suæ & Scabinatus  
 Adfessoris gravissimi,  
 Domini Præceptoris & Patroni  
 æternum colendi,

ENUNCIATA LEGALIA *141*  
 DE

FELONIA

*publica eruditorum disquisitioni subjicit*

GEORG. von Kreutz / Eques Variscus,  
 In Auditorio Jctorum

*a. d. April. An. M. DC. LXIX.*

---

JENÆ,  
 Typis JOHANNIS WERTHERI.

4





*ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO*  
DOMINO,  
DOMINO HENRICO  
SECUNDO  
JUNIORI, ET NUNC SENIO-  
RI RUTHENO,  
DOMINO à PLAVIA,  
DOMINO in GRAIZA, CRAN-  
NICHFELDA, GERA, SLEIZA &  
LOBENSTEINIO &c.

NEC NON  
*ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO*  
DOMINO,  
DOMINO HENRICO  
QVARTO  
EJUSD. LINEÆ JUNIORIS RUTHENO,  
DOMINO à PLAVIA, DOMI-  
NO IN GRAIZA, CRANNICHFELDA,  
GERA, SLEIZA ET LOBENSTEINIO, &c.  
*DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS*

has studiorum primitias  
in subjectionis & gratitudinis debitæ  
documentum humilimè offert

GEORG à Kreuz.





## L. S.



uantumvis ab ipsis mundi cunabulis, eisque post diluuium qs. renascentibus, undique, ipsa natura duce, non singulari quadam hominum constitutione, omnium rerum communis fuit possessio, & una eademque libertas, & horum acquisitio, quæ in universo corpore creato capiuntur, *Isidor. lib. 5. de orig. & ex eo Gratianus distinct. 1. §. jur. natur. Hugo de Roy, de eo quod justum est lib. 1. tit. 5. n. 2. p. m. 68.* Imò quilibet hominum (verba sunt magni illius Grotii *de Jur. B. & Pac. lib. 2. c. 2. §. 2.*) statim ad usus suos, non quidem proprio quodam instinctu Divino aut naturæ, sed ex eo, quod nemini proprietas speciatim sit dicata *Molina de Just. & Jur. tr. 1. D. 4. n. 8.* arripere potuit, quod placuit, eaq; consumere, quæ ad consumendum apta fuere, adeo, siquidem talis usus universalis fuit juris, & loco proprietatis, ut quod quisque tali modo sibi acceptaverit, illud ei auferri non nisi per injuriam

A 2

po-



potuerit. Pervenientibus autem hominibus paulatim ad comptiores sensus, & apparente ipsis ex dictamine rectæ rationis, commodiorem futurum rerum usum rebus divisis, naturali ex ratione, non singulari quodam pacto, ad quod ceu basin rerum divisio referenda, *docentibus, Hug. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 2. & Selden. l. 1. de Domin. mar. c. 4.* rerum inter homines cæpit esse divisio, & post hanc plures ditiones, ac res quibusdam sibi acquirentibus, quibusdam verò rerum copia carentibus, progressu temporis prodire jura, quæ alterius sublevant inopiam, Vasallorum quoque orta est constitutio, qua ditiores, cæteros, quos vocarunt Vasallos, ceu ope quadam suffultum iverunt, iisque retentò tamen jure eminentiore, inferius aliquod in rebus suis certa indusserunt lege, huic autem contrarianti iterum abstulerunt, & hoc dicebatur Felonia, de qua animus est discutiendi ergo theses quasdam constituere; Exemplo igitur Gloriosissimi nostri Imperat. *ex Proem. de concept. ff. æterno Dei auxilio impleto, protinus ad Definitionem, M. Tullii præcepto 1. off. ut sciatur id, de quo disputetur, nos accingimus, & Feloniam sequenti describimus modo.*

CON-



## CONCLUS. I.

Felonia (a) est culpa, (b) propter  
quam Vasallus (c) vel Dominus (d)  
feudo suo (e) privatur. (f)

(a) Sumitur hæc vox hîc specialiter, prout in jure  
feudali accipi solet, aliàs etiam in genere significat  
quodcunque capitale facinus, quomodo & qualitercun-  
que commissum. *vid. Calvin. in Lex. hac voce.* Hujus  
autem vocabuli derivationes ferè tot sunt, quot sunt  
hujus juris interpretes, adeò ut etiam lusum in illis pro-  
ponendis agere velle videantur, plerique enim à prate-  
rito perfecto verbi fallo derivant, ideoque etiam Fallo-  
nia scribere soliti sunt, alii, ut est Borcholt. 2. *feud.* 17. &  
ab eo allegatus Cujacius & Rosenthal. à græco vocabulo  
Φήλωσις seu Φήλωμα, quæ culpam, fraudem & imposturam  
denotant: Quidam, inter quos est Zasius, hanc vocem  
dicunt esse barbaram, Gothis etiam & Longobardis  
idem significare quod noxiam, scelus, eine Schelmerey  
oder Schelmstück; alii à Vilania vel Fillania quod Longo-  
bardis & Italis contumeliam, convitium &c. significasse  
docet Rosenthal, iterum alii à Felligkeit *vid. Schultz. c. II.*  
*n. 3. Reusn. meth. Jur. feud. D. 9. §. 7.* aliis alia arridet de-  
rivatio; Verùm nos, missis tam latinis, græcis, aliisque  
exteris derivationibus, utpote huic vocabulo minus  
congruentibus, cum MAGNIF. DN. STRUVIO, Patro-  
no atque Præceptore nostro sempiternùm colendo, &  
Finckelth. *D. F. 1. §. 5. it. Rittershus. l. 1. feud. c. 1. p. 13.*  
illud à germ. fehlen oder fassen derivamus, & vocabulum  
Fehl hodiernum adhuc Germ. est peccatum, vitium, de-  
fectus.



fectus. Hæcque Felonia expresso pacto remitti nequit, aliàs enim Vasallus ad delinquendum invitaretur, contra *l. illud convenire 5. ff. de pact. dotal. add. Bald. in l. 1. ff. de rerum divisione, & Zasium de feudi privatione part. 10.* (b) Per culpam autem hoc loco intelligimus latam *2. F. 52.* quæ dolo æquiparatur, est verò talis, quando quis aliquid negligit vel ignorat, quod tamen scire ac observare debuisset & potuisset, adeoque imputet sibi Vasallus, se adeò negligentem esse; vocatur aliàs incuria *l. 64. pr. ff. de evict.* item error, fraus, perfidia, item imprudentia *l. 32. de condit. & demonstr.* (c) Vasallum feudò privari posse ob commissam culpam, neminem puto ambigere, adeoque satius erit de hoc tacere, quàm multa loqui. *vid. 1. f. 5. & c.* (d) non putamus aliquo modo dubitandum esse dominum quoque Feloniam committere posse, cum expressis nitamur Jur. f. text. ut *2. f. 47. 24. 7. & 6.* adeoque etiam rectè hoc definitioni inseritur. (e) hic loci nobis dupliciter feudum sumitur, respectu sc. Domini & Vasalli, Illius respectu sumitur pro ipsa re feudali in feudum Vasallo concessa, hoc quoque modo sumitur *1. F. 4. in fin. pr. & 8. seq. 2. F. 8. Rittersh. lib. 1. c. 3. q. 3.* Hicq; si committat Feloniam, ipsam perdit proprietatem *2. f. 47.* Hujus verò respectu sumitur pro jure in re feudali Vasallo à Domino constituto, & si culpa sua Feloniam committat Vasallus, hoc jure privatur. *1. f. 7. 8. 21. 22. in f.* (f) Olim quidem pro lubitu Dominus feudum Vasallo concessum auferre poterat, *1. f. 1. §. 1. & 2.* Postea verò certum aliquod constitutum est jus, juxta quod regularem feudi naturam, sine culpa feudum non amitteret Vasallus, nec devestiri posset, etiam ab ipso Principe *1. F. 7. 21. vid. Hattis. c. 11. anal. jur. f. §. 2. lit. a.*

CON-



## CONCLUS. II.

Hæcque committitur vel ex  
causa communi (a) vel propria. (b)

(a) Causæ autem Feloniæ communes dicuntur illæ,  
ob quas etiam alia similia jura, ut emphyteusis, usus-  
fructus amittuntur, v. c. rei interitu, chasmate, consoli-  
datione &c. (b) Propriæ verò dicuntur propter quas  
peculiari ratione culpa sc. sua feudum amittit.

## CONCLUS. III.

Culpa autem ob quam Vasal-  
lus (a) se feudo indignum reddit,  
fit vel commissione, (b) vel omis-  
sione. (c)

(a) Præprimis enim videbimus quomodo Vasal-  
lus feudum suum perdat, deinde etiam de ipso Domino,  
(b) si nimirum talia patrat, quæ meritò patrare non de-  
bisset *Schultz. c. 11. n. 5.* & hoc dicitur culpam commit-  
tere *i. F. 17.* (c) utpote si à Vasallo talia omittantur, quæ  
tamen officii intuitu omittere non debebat.

## CONCLUS. IV.

Commissione [a] enim vel in  
Dominum ipsum, idque vel dire-  
ctò [b] vel per indirectum; [c] vel  
in extraneum, vel in semetipsum  
delinquit.

[a] Fe-



[a] Feloniam ex culpa commissionis patratam maximè priori loco tractandam putamus, utpote quæ multo atrocior omissionis reputatur, *per tx. l. Metrodorum 40. ff. de pæn. vid. Gail. de pac. publ. l. 2. c. 6. n. 2.* [b] si nimirum in propria persona quoad honoris vitæ & corporis incolumitatem Domino nocetur *Schultz. c. 11. n. 7.* uti in subsequentibus videre licet. [c] utpote si committit vel in personas Domino conjunctas, vel in res & bona, uti ordine demonstrabimus.

### CONCLUS. V.

Præcipuam autem & palmariam culpam directo contra Dominum fit eundem interficiendo.

Quoquo modo etiam illud fecerit, ut gladio, vel veneno, aliisque armis vim ei inferendo. *2. F. 6. 24. §. 2. v. porro si, Bocer. class. 5. Disp. 20. §. 11. Schnobel. D. F. 10. §. 7. Schultz. c. 11. n. 8. DN. STRUV. S. J. F. cap. 15. aph. 9. n. 3.* Item Dominum suum assaliendo seu assiliendo, quod est aggrediendo *1. F. 5. 17.* Quamvis hæ insidiæ effectum non fuerint sortitæ, h. e. Domini mors non fuerit secuta, *per tx. 2. F. 24. v. porro. 2. F. 51. §. si voluerit, ibique Frid. Schenck Baro. Sonsbec. p. 12. n. 37.* idque vel per se, vel per alium fecerit nihil interest, *arg. l. 1. §. dejecisse ff. de vi & vi arm. Schneidov. Epit. J. F. p. 8. c. 1. n. 95.* Fallit tamen hoc, si solum habuerit animum ejusmodi malitiosum, quem, etiamsi verbis expresserit, modo pœnitentia ductus, à pravo hoc affectu, pravaque cogitatione destiterit, *c. un. §. si voluerit. 2. de capit. qui cur vend. 2. f. 58. l. 18. de pæn. DN. STRUV. d. aph. 9. n. 3. Schultz. d. c. 11. n. 12.*



n. 12. *ibique alleg. Dd.* ob solam enim voluntatem & conatum, sine exteriori quodam actu conjunctum, nemo puniendus, *arg. 2. Feud. 5. §. si voluerit. l. 18. de pœnis.* Deinde etiam fallit in moderamine inculpatae tutelae in einer rechten Nothwehr/ nullo enim modo peccasse videtur is, qui propriae salutis contra injustam aggressionem parcat. *l. 3. C. ad L. Corn. de sicar. l. 4. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. l. 3. §. 9. de vi & vi arm.* quodcunque enim quis ob tutelam corporis sui facit jure fecisse existimatur, & vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt *l. 3. de Just. & Jur. & dd. lxx.* idem de Jur. Sax. obtinet per express. *tx. Landrecht lib. 3. art. 38. verb. wundet ein Mann seinen Herrn &c.* An autem vasallus feudo privandus, si saltem ad percutiendum Dominum levaverit manum? Quamvis multi haud infimi commatis Jcti id affirmant *per l. 15. §. 1. ff. de injur.* nobis tamen id ipsum negare cum aliis placet, utpote cum tantae non videatur esse atrocitatis, & quia in poenalibus benigna sententia est arripienda *l. 155. §. 2. de R. J. ibique Decius l. 192. inf. eod. l. 31. de pœn. c. in pœn. 50. de R. J. in 6.* Deinde etiam juxta interpretes Principes vel Domini non solent rigorem Jur. feud. observare, & Vasallum feudo privare, sed poenam tantum aliquam dictare, ut testatur *Hartm. Pistor. cum alleg. l. 2. q. 18. n. 8. DN. RICHTER. hic loci Ordinar. p. 3. consil. 11. n. 66. add. DN. WEXIUS Cancell. Saxon. Martisb. discurs. jurid. de feloniam §. 5.* qui testatur hodierno usu non facile ex causis jure feudali expressis ad feudi privationem pronunciari, ideò multò minus in non expressis, sed potius ordinariam poenam in aliam vel carceris, vel pecuniariam ratione delicti commutari.

B

CON-



## CONCLUS. VI.

Huc pertinet si criminis eum accusaverit (a) vel in causa criminali testimonium contra eum dixerit. (b)

(a) *expres. tx. c. unic. §. in quibus vers. similiter. de consuet. recti feud. 2. F. 33. & præstata Domino fides in genere requirit, ut Domino reverentia præstetur ac avertatur damnum Domino imminens, 2. F. 23. vers. quomodo propter quam reverentiam Dominum criminis accusare non potest, 2. F. 24. §. 2. vers. item delator, idque itidem vel per se vel per alium; Et quamvis crimen sit verum, non enim quid facere debet quod domini lædit æstimationem 2. F. 6. & 7. vers. ego iuro. arg. C. quemadm. testam. aper. l. 6. §. 1. C. de postul. ORDINAT. CRIMIN. artic. 110. his verb. Und ob sich auch gleichwohl die aufgelegte Schmach der zugemessenen That in der Wahrheit befindet. Concordat Constit. Elect. 44. p. 4. verb. Da einer gleich solch zc. add. Gail. 2. c. 99. l. 2. resp. 61. Dn. Richter. p. 1. consil. 18. n. 33. Insigniter tamen à Dd. hoc limitatur, si nimirum id ratione officii faciat arg. l. 22. de his qui ut indig. Item si eum de crimine læsæ Majest. accusaverit. Nov. 1. 15. c. 3. §. 3. & hoc publica requirit salus, Item si accusando Dominum suam & suorum injuriam tueri animum habeat, quod nemini denegandum l. prator ait 1. §. 43. v. aliter. ff. de vi & vi arm. Denique si poenitentia ductus, accusationem dimiserit. arg. l. 14. §. 8. de bon. libert. add. latè Schultz. c. 1. n. 20. & seqq. Dn. Struv. c. 11. aph. 3. (b) per tx. 2. F. 33. §. 1. vers. similiter, & quidem in-*



indifferenter, non excipiendo causam civilem vel modicam vel magnam, uti variè Dd. hanc sententiam limitant *per tx. 2. F. 24. §. item si delator*, ut latè videri potest apud Magnif. Dn. Struv. c. 11. *aph. 3. n. 3.* cum in causa tam modica quàm magna Domino molestus sit Vasallus, & notant Dd. communiter Vasallum non teneri contra Dominum testimonium dicere, cum resistere possit & se excusare, quod non audeat id facere; Hoc etiam procedit, si qualicumque modo probationes haberi possint, hisce verò deficientibus à iudice cogi potest, per *Lehn-Recht c. 72. vers. es mag auch niemand!* Dn. Struv. c. 11. *aph. 3. n. 4.* Item si sint causæ feudales, quæ non nisi per pares curiæ probari debent, *tx. 2. F. 32. & 33. §. quod autem. 1. F. 26. §. testes autem. & c. Schultz. c. 11. n. 24.*

## CONCLUS. VII.

Similiter si gravem injuriam Domino intulerit, (a) vel per alium inferri curaverit. (b)

(a) Ea enim gravissimè lædit famam, quæ cum vita pari passu ambulat, & existimationem Domini *2. F. 24. v. porro. Schnob. D. F. 10. §. 10.* & omninò se indignum facit beneficio contra fidelitatē faciens, quam juramento promisit: deinde etiam est contra *express. tx. 2. F. 6. & 7. add. Schultz. c. 11. n. 15. ibiq. alleg.* nihilque refert realisne sit, an verbalis *Rittersh. q. 9. & 10.* hoc etiam Jur. Sax. statutum *Glossa ordin. Landrecht l. 1. art. 14. sub verb. es ist allein num. 3. verb. Ob ein Mann seinen Lehnherren gröblich schmehet oder vorsehlich Schaden thut/ dadurch mag er sein Lehn verlieren.* (b) quodcumque enim quis per alium facit,

B 2

cit,



cit, id ipse fecisse videtur *add. latè Schultz. d. l. num. 14. & 15.*

### CONCLUS. VIII.

Eandem commissionis culpam committit, si cum inimicis Domini contraxerit amicitiam.

Vel ut feudista loquitur, amicitias copulaverit, ex quibus apparere poterit, se potius Domini inimicum, quàm amicum seu fidelem esse, *contra tx. 2. f. 57.* Intelligimus autem hoc loco talem amicitiam cum feudista, *d. l.* quæ cum fraude, dolo, ac detrimento Domini sit counita, ejusque in perniciem, contumeliam, injuriam ac interitum vergat: *vid. Motz. de feud. rubr. ex quib. caus. feud. amitt. n. 66. vers. intellige tamen. Schneidvv. epit. feud. p. 8. c. 1. n. 59. & seqq. Schnobel. Disp. F. 10. §. 10.* non verò talem quam Christiana requirit charitas, quæ bona fide sine pernicia Domini contrahi potest *vid. Schultz. c. 11. n. 26.* & Domino contrarium asserente meritò probandi onus defertur, nisi præsumtio quædam eminens vasallo contrarietur. *Schultz. d. l. inf.*

### CONCLUS. IX.

Item credentiam seu secreta in Domini perniciem revelando.

Per credentiam autem intelligitur arcanum s. secretum, quod Vasallo concreditum à Domino *1. F. 17. 2. F. 5. 6. & 7.* hoc enim minimè detegendum est, & si detegerit Vasallus, vel revelaverit malitiosè atque scienter, omninò feudo privandus *dd. lxx.* negante vasallo verò, se



se dolosè hoc fecisse, illud ei probandum erit. *vid. Morz. d. l. n. 35. & seq. Schultz. c. II. n. 25.* Sed quæritur, utrum etiam feudo privandus, si eventus non respondeat fraudulentum proposito? *Resp. cum Schrad. part. 9. c. 5. n. 52. & Rittersb. l. 2. c. 5. q. 22.* quod sic, per fraudulentum enim propositum dolus malus, studium, consilium ac propositum nocendi significatur, quæ si adsint, sufficiunt, licet damnum non fuerit subsecutum, ad pœnam privationis, *per l. 14. junct. l. 1. ff. de suc. ar. Schrad. p. 9. c. 5. n. 50. Schnobel. Disp. F. 10. §. 12.* huc referunt, si literas Domini resignaverit, de quo *vid. Schultz. d. c. II. n. 25.*

### CONCLUS. X.

Tandem in genere concludimus, vassallum toties feudo suo privandum, quoties graviter & egregiè contra præstitam fidem peccaverit.

Adeoque hic locum habet dictum illud: frangenti fidem, fides frangatur eidem, idque optimè confirmat *Feudist. 2. F. 23. vers. de illa tamen*: ubi expressè dicitur, non omnem sufficere occasionem, sed quædam egregiæ ingratitude causæ, quæ omnes scripto non comprehendi testatur *Feudist. d. l.* sed ea bonis curiarum consuetudinibus vel Judicis arbitrio relinquenda. *add. cap. seq. ub. Feudist. quasdam recenset species.* Et hæc sufficiant hac vice de feloniam directò in Dominum commissa, plura videri possunt apud *auth. sp. alleg. & præcipue*



puè Dn. Struv. c. II. aphor. 3. & c. 15. aphor. 9. & Schultz.  
c. II.

### CONCLUS. XI.

Ordinis ratio exigit, ut nunc etiam perpendamus, quomodo per indirectum Dominus injuriâ afficiatur, & quidem per personas, quæ ex visceribus ejus quasi dependent.

Non solum enim quis per semet ipsum injuriam patitur, sed etiam per eas, quas in potestate habet §. 2. *Inst. de injur.* quales sunt, uxor, liberi, &c. *add. tx, l. F. 5. §. item. & §. rursus & 2. F. 25.* quarum potiores recensebimus.

### CONCLUS. XII.

Præcipua verò est uxor, si nimirum Vasallus eam cucurbitaverit.

Hoc est cum uxore ejus concubuerit *l. F. 21. §. fin.* vox enim cucurbitare barbaram redolet originem, in legibus enim Longobardicis corbita vel curbita pro stupro vel infamia usurpabatur, unde cucurbitam dicebant uxorem adulterio infamem, quam etiam argam alii nuncuparunt, *vid. Calvin. in Lex. Jurid. hac voce,* & *Dn. Struv. S. J. F. c. 15. aph. 9.* hodie verò talem cornutum appellant, rationem autem vocis cucurbitæ reddit



dit Rittershus. *lib. 2. c. 5. q. 92.* quod sc. ille hoc flagitium  
patrare audens in uxorem Domini, eum pro inerte ha-  
beat, qs. qui pro capite habeat cucurbitam, & peponem  
loco cordis, sive qui pepone magis insulsus sit, & di-  
gnus qui cucurbitas pingat: Quod etiam adeò verum  
esse docent Interpretes, si etiam tantum concumbere  
se exercuerit, hoc est, concumbere conatus fuerit, vel  
etiam si turpiter cum ea luserit, immittendo forte ma-  
nus in sinum, femora, mammillas aliumve locum, unde  
turpe esse possit, contrectet, uti explicant Motz. *de feud.*  
*rubr. ex quib. caus. feud. amitt. num. 41. & seq. add. Dn.*  
*Struv. d. c. 15. aph. 9. n. 9.* qui etiam hoc ad osculum turpe  
sive contra morem gentis inhonestum extendit, quia li-  
bidinosa illa oscula Veneris sunt preparatoria *Arum. D.*  
*F. 8. §. 3. sub fin.* Idem dicendum, si Domini uxorem  
tantum sollicitaverit, per literas amatorias, vel mune-  
ribus, vel quocunque alio modo pudicitiam ejus at-  
tentaverit. Et hæc omnia, quæ de uxore dicta sunt, tam  
de sponsa quam vidua intelligenda sunt, in iis enim  
illa, quæ ejus attinent honestatem habetur pro uxore,  
adeoque etiam permittitur Sponso stupratorem Sponsæ  
accusare, quia nec ipsum matrimonium, neque spes ma-  
trimonii ullo modo violanda. *l. 17. §. 3. & 8. ff. ad L. Jul.*  
*de adult. l. 8. C. eod. l. 15. §. sponsum 24. ff. de injur. Ritters-*  
*hus. d. c. 5. q. 102.* In vidua autem hoc limitatur, si scil.  
post annum luctus id commiserit, alias non, quia Feudi-  
sta *l. F. 21. §. fin.* addit hæc verba: vivente Domino, quæ  
utique frustrâ non sunt adjecta, hisce enim exprimit  
quasi post mortem Domini id non fieri, annus verò lu-  
ctus ad hoc tempus numeratur *arg. l. 11. §. 1. ff. de his qui*  
*not. infam. nov. 39. c. 2. post pr.* intra quod is concubi-  
tus in injuriam Domini vergere putatur. *Dn. Struv. d.*





*c. 15. aph. 9. n. 9. in fin. Rosenthal. c. 10. conclus. 27. Borcholt.  
de feud. c. 8. n. 96. & seq.*

### CONCLUS. XIII.

Reliqua sunt, filia Domini vel neptis ex filio, aut filio nupta, si harum aliquam sciens stupraverit, (a) item soror in domo ejus manens, quæ in capillo dicitur. (b)

(a) *Per express. tx. c. un. 1. F. 5. in pr. & 2. F 57. hisce enim maxima Dominus injuria afficitur, honorque ei & fides debita deminuitur, vid. Motz. rubr. quib. mod. feud amitt. n. 56. & seqq. VVesembec. c. 10. n. 5. Dn. Struv. c. 15. aph. 9. n. 9. & utrum hisce in personis sola sufficiat attentatio non minima inter Dd. est controversia, & quamvis quidam id ipsum negent, affirmantium tamen opinioni adstipulandum putamus, ob eandem rationem, quæ pro muliere militat: nec quicquam refert, utrum prædictæ personæ consenserint, nec ne, utroque enim casu Dominus injuriâ affectus esse censetur per l. 1. §. 5. & l. 26. ff. de injur. vid. Schultz. c. 11. n. 34. Et hæc omnia etiam ad Domini matrem extendunt Dd. vid. Schultz. d. l. n. 33. ibique allegat. hoc tamen ad concubinam & pedisequam Domini non extendendum, illa enim hodierno tempore nil honestatis in se habet. (b) h. e. quæ in domo ejus vivit adhuc innupta, uti hoc ita explicat Hotoman. lex feud. verb. in capillo vid.*

*Schultz. d. c. 11. n. 33. & Dn. Struv.*

*c. 15. num. 9.*

CON-



## CONCLUS. XIV.

Jam etiam pervenimus ad res  
quatenus in iis committat Vasal-  
lus, & hoc fit I. feudum abne-  
gando.

Sc. dolosè & præfractè §. *vasallus verb. ex certa sci-  
entia 2. feud. 26. vid. Dn. Struv. d. c. 15. aph. 9. n. 7.* & ni-  
hil interest, five totum abneget, five partem feudi vel  
ejus conditionem & qualitatem; & quidem partis ab-  
negationem quod attinet, an propterea toto feudo pri-  
vandus; vel tantum illa parte abnegata, non convenit in-  
ter Dd. sunt enim quamplurimi, qui ob *tx. d. §. 2.* gene-  
ralitatem toto feudo eum privandum existimant, quo-  
rum sententiæ calculum nostrum non adjicimus; sed  
cum aliis, cum quibus Dn. Struv. *d. loc. æquiore* sen-  
tentiam amplectentes, facimus, Vasallum sc. ea tantum  
parte abnegata privandum, *arg. sumto ex cap. un. 2. F. 38.*  
*vid. Gothofr. in d. tx. Schultz. c. 11. n. 16. Dn. Struv. d. l.*  
metus enim non ulterius progredi debet quàm delictum  
*tx. in l. 2. C. de pæn.* Conditionem autem abnegando,  
quod attinet omninò totum perdere feudum putamus,  
*per allegatos §§.* quippe quæ negatio totam afficit rem,  
neque dividi potest, sunt verba Gothofr. *ad d. §. 3. l. a.*  
illa quoque congruunt cum jur. Sax. *vid. Landrecht lib. 1.*  
*artic. 32. vers. Sprech sie aber/das es ihr eigen were / ibi-*  
*que glossa num. 3. vers. also verleast man auch das*  
*Lehn/ob einer spreche/das Gut were*  
*eigen.*

C

CON-



## CONCLUS. XV.

### II. Rem feudalem deteriorando.

Qui enim feudo insigniter abutitur, idque deterius reddit, eo non est dignus, 2. F. 8. §. è contrario 2. F. 24. §. prater. 2. F. 27. §. quicumque; illud autem fit v. c. si arbores fructiferas absque summa refectionis ædium causa magno numero ex sylva non cædua exciderit, arg. l. 7. ff. solut. matrim. nisi sint vetustæ, nec in illarum locum alias substituerit. l. 18. ff. de usufr. vel agros planè incultos relinquat, ut in dumeta degenerare videantur Gail. 1. obs. 67. n. 8. Horum autem opinio hic loci non videtur rejicienda, qui ad ante allegat. txx. hanc addunt limitationem, nisi Vasallus admonitus abstinuerit à deterioratione. arg. §. quicumque. 2. F. 27. illam verò enormem deteriorationem meritò Judicis arbitrio relinquendam dicit rectè Gothofr. ad antea alleg. §. prater ea. Hanc quoque animadversionem in feudo emptitio locum habere tradit Rittershus q. 70. eamque non ultra eam partem deterioratam extendendam esse, adjicit q. seq. 71. arg. tit. 38. lib. 2. F. Hæcque deteriorationis animadversio locum habet in Jur. Sax. per gloss. Landrecht lib. 2. artic. 44. verb. Wer auch an seinen Lehn/ ubi sic extat: Wer ein Lehn hat/und dasselbe übel gebraucht/der verlust es, quod tamen eodem jure in ædificiis non observatur, iis enim impunè abuti poterit per lib. 2. Landrecht artic. 2. ein ieglicher Mann mag sein Gebäu wohl besfern und ärgeru auff seinem Lehn/ gegen seines Herrn Willen. add. Zobel. ibid. lit. F.

CON-



## CONCLUS. XVI.

### III. Eam citra voluntatem Domini alienando.

*Per tx. 2. F. 52. & 2. F. 55. vid. Dn. Struv. d. c. 15. aph. 9. n. 7. in fin. nihil etiam interest qualicumque etiam modo fiat distractio 2. F. 55. §. Habito, accipitur enim ibidem alienationis vox in latissimo significato, pro qualibet juris translatione, ut fit in l. fin. C. de reb. alien. non alienand. adeoque Vasallus feudum nec in emphyteusin, nec in usumfructum, multò minus in dotem vel solutionem dare potest Rittershus. lib. 2. F. c. 3. q. 13. & seqq. add. omninò Hat. ys. anal. §. Feud. c. 10. §. contra non potest, ubi in notis, hujus rei acutam reddit rationem. Ratio autem generalis esse potest hæc, quod Vasallus alienans feudum, Dominum contemptui habere videatur, vid. Gothofr. 2. F. 24. vers. si Vasallus: Perdit autem feudum eatenus, quatenus alienat 2. F. 38. c. un. in pr. de Jur. Sax. etiam simultaneè investiti consentire debent, die die gesamte Hand am Lehn haben/ per tx. Lehnrecht c. 8. in pr. verb. Ob zween Mann mit einem Lehn sämtlichen beliehen werden/und ihr einer verleihet förder einen andern was von dem Gute/ ihr keiner mag doch daran ohne des andern Wissen und Willen etwas leihen noch aufflassen/ daß es dem andern nachtheilig sey &c. add. gloss. ibid. Hartm. Pistor. lib. 2. part. 1. q. 20. n. II. vers. quin imò hoc etiam Jur. Sax.*

## CONCLUS. XVII.

### IV. Castrum Domini oppugnando.

C 2

Per





*Per tx. 1. F. 5. §. similiter, incumbit enim Vasallo, ut damna Domino ab aliis imminencia declinare, Dominum juvare, resque injustè ipsi ablatas recuperare debeat, ut præcipit tx. 2. F. 6. 7. & 2. F. 24. §. præterea, multò magis ei incumbet ab omni eo abstinere, ex quo damnum aliquo modo sentire posset Dominus, Rittershus. d. c. 5. q. 90. nec refert, aut excusationis loco ei esse poterit, sciveritne an ignoraverit, in eo Dominum non commorari, hoc enim jam tum sufficit, se non ignorasse, castrum hoc esse Domini sui, non solùm enim Domini; verùm etiam ædificiorum artiumque oppugnatio haud exigua injuria, ingratitude aut damnum est. vid. Giphan. cap. 13. n. 18.*

### CONCLUS. XVIII.

Jam videndum, quomodo inextraneum committat Vasallus, hoc autem fit I. per crimen læsæ Majestatis.

Quemadmodum enim hoc crimen nemine negante gravissimum est, ideoque in hoc gravissimæ poenæ meritò sunt constitutæ, quia in universos redundat §. 3. *Inst. de pub. jud. l. 5. ad L. Jul. Majest. Aur. B. Car. IV. tit. 24.* adeò ut hoc commisso crimine, Vasallus ipso jure absq; ulla sententia declaratoria feudum suum perdat, ita tamen, ut Dominus incolume suum retineat jus: quod etiam obtinet in pacis publicæ violatoribus, *juxta Noviss. Constit. Maximil. I. & Carol. V. Imp. in constit. des Landfriedens zu Wormbs Ann. 1495. zu Augspurg 1548. sub tit. die Poender Friedbrecher. Ordinat. Cameral. part. 2. tit.*



tit. 9. §. So iemant; vers. auch die Lehn so viel der Verfab-  
rer gebraucht 2c. Dn. Struv. S. 7. F. c. 15. aph. 10. n. 4.

## CONCLUS. XIX.

### II. Per patricidium sive parri- cidium.

Id est si tale committat crimen, quod parricidii  
pœna plectitur 2. F. 24. §. *fin. vers. si vero*, hi autem omnes  
longa enumerantur serie in l. 1. ff. ad L. Pomp. de parri-  
cid. Rittershus. q. 113. qui hoc etiam ad compatrem suum,  
qui aliàs in Jur. Can. spiritualis venditari solet pater, ex-  
tendit cum Schrad. part. 9. constit. 3. n. 25. neque hic ex-  
cusat, si effectum non fuerit sortita sua intentio, exten-  
ditur enim hoc, si aliis idem crimen intendentibus ad-  
jumento fuerit, vel etiam ejus habuerit scientiam, &  
quod superest, si tantum talismodi personas conjunctas  
dolosè captivas detinuerit, carcerique mancipaverit,  
idque fiat vel ob adipiscendam hæreditatem 2. F. 37. pr.  
vel qualemcunque aliam causam 1x. 1. Feud. 5. vers. *item*  
*si fratrem* 2. Feud. 24. §. *final.* Schultz. c. 11. num. 36.  
quod etiam obtinet de Jur. Sax. per lib. Landrecht 3. artic.  
84. uti testatur Schultz. d. l. Carpz. lib. 6. Resp. 81. n. 4. ubi  
reddit rationes, additque limitationes.

## CONCLUS. XX.

### III. Per traditionem.

Per 1x. 2. F. 37. Per traditionem autem ibidem in-  
telligitur proditio ad occidendum, teste Rittershus. q.  
219. & Schultz. c. 11. n. 39. Rationes itidem exhibet Rit-  
tersh. d. loc. quod sc. sint confratres, nemo enim fratrem

C 3

suum.



suum prodere putatur, cum hoc juri naturæ contrarium videatur, deinde & pro commilitonibus reputantur, vulnerans verò, vel ad vulnerandum tradens commilitonem suum de jure civili vel exauctoratur militia, vel etiam capite plectitur, *l. 6. §. si quis commilit. ff. de re milit.*

### CONCLUS. XXI.

Ordinis ratio nunc exigit, ut videamus, quomodo in se ipsum committat Vasallus, illud autem fit se ipsum interficiendo, (a) vel incestum committendo. (b)

(a) Nemo enim feudo dignus putandus est, qui se ipsum indignum reddit, adeò ut etiam hæredes ejus talismodi casu per tale facinus horrendum eo priventur; verùm enim verò hoc non ita simpliciter est intelligendum, sed cum limitatione aliqua, si enim hoc fecerit ob crimen aliquod sibi conscius, propter quod ei feudum aliàs auferri possit, si inquam tali casu sibi mortem concitaverit, tunc omninò privatio locum habet: Quod si verò ex melancholia aut valetudinis vel doloris impatientia, vel vitæ tædio id fecerit, hæredes feudo minime privandi, *arg. l. 3. in pr. & §§. seqq. ff. de bonis eorum, qui ante sent. item arg. eorum, qua ratione denegationis honesta sepultura tradit Dn. Struv. S. J. C. Exercit. 15. §. 82.* (b) Sive ut dicit *Schultz. c. 11. n. 41.* incestas nuptias contrahat, ob talismodi enim turpitudinem in Domini curia Vasallus honestè haud stare poterit, *per ix. 2. F.*

37. pr.



37. pr. talismodi etiam criminis rei bona fisco cedunt,  
2. F. 65. Novell. 12. c. 1. Et quamvis plurimi dissentiant,  
quod sc. expressus *ix. J. Feud.* desit, tamen quia ratio vi-  
detur eadem, ob quam parricidium est causa feudum a-  
mittendi, æquè enim atrox contra vim humanitatis &  
sanguinis communionem est incestus ac parricidium, ut  
dicit *Dn. Struv. c. 15. aph. 10. n. 3.*

### CONCLUS. XXII.

Visis delictis commissionis de-  
venimus ad delicta omissionis,  
quæ iterum sunt vel respectu Do-  
mini, vel extranei. Illa concer-  
nunt vitam & incolumitatem, aut  
ejus res & jura.

*Vid. Schultz. sapius d. c. 11. n. 43. & conclus. seqq.*

### CONCLUS. XXIII.

Quæ vitam & incolumitatem  
Domini concernunt, sunt, si eum  
in prælio dereliquerit, (a) vel gran-  
de periculum Domino imminens  
celaverit, (b) vel etiam in anxietati-  
bus constitutum non auxiliatus  
fuerit. (c)

*per*



(a) *Per tx. 2. F. 24. §. item qui Dominum, item per pr. c. un. 1. F. 5. §. si quis miles 1. F. 21.* imò licet præsens periculum nondum adsit *dd. txx.* Dominus lethaliter non sit vulneratus, *juxta Feudist. add. Motz. d. l. n. 83.* imò licet in magno vitæ discrimine non fuerit constitutus, nec quicquam damni perceperit, nec Vasallo prodest, quòd forte pœnitentia ductus reversus fuerit, *juxta dict. txx. Rittershus. q. 55. lib. 2. c. 5.* Vel si Dominus victoriam reportaverit, aut Convasallus Dominum defenderit, ut ita ejus desertio ei minimè nocuerit, *arg. l. 3. & 15. ff. de remilit.* Ratio est, quia quod ipsum attinet, fidem fregit *Rosenthal. c. 10. concl. 16. Motz. d. c. n. 88.* Aliud verò dicendum, si coactus fuerit eum derelinquere, quòd scil. ipse inutilis ad Domini defensionem factus, aut ultimo in vitæ periculo constitutus fuerit, non enim cogitur vitam suam postponere Domini, nec *obst. l. 1. ff. ad SCtm. Syllanian.* quam benè resolvit *Hattys. anal. Jur. F. c. 11. §. omittendo lit. f. add. Schultz. c. 11. num. 46. in fin.* Item si Dominus injustum moverit bellum, nimiaque fuerit hostium sævitia, vel si Dominus audacter magis, quàm fortiter mediam in hostium aciem irrumpat, ut sine aperto vitæ discrimine sequi non possit, *arg. l. 38. ff. pr. de oper. libert. Arum. D. F. 8. thes. 2* non verò operabitur excusationem, si errore ductus sibi persuaserit Dominum lethaliter vulneratum esse, cum vel plane non, vel minimè lethaliter vulneratus fuerit, *Rittershus. d. l. quest. 51.* nisi verisimiles quasdam habuerit conjecturas, *Motz. d. c. n. 91.* (b) e. g. si sciat quendam contra Dominum suum assaltum, vel mortem aut captionem, aliamque grandem jacturam facere molientem, hoc enim quamprimum poterit Domino denunciare obstrictus est, ut ita talismodi periculum imminens avertere possit,



fit, si enim non fecerit, omninò ejus dolo, negligentia, vel fraudi adscribendum est 2. F. 7. §. ego juro. verb. vel si scire. 2. Feud. 24. §. 2. verb. praterea: nec excusabitur, si fortè pater vel frater aut filius Vasalli contra Dominum quid tentaturus sit, Schultz. d. l. n. 44. & Feudist. communiter. (c) v. c. si Dominum in carcere detentum sciverit, nec tamen operam impendat ut liberetur, 2. F. 24. §. item qui. vers. item si delator, Jul. Clar. Recept. sent. l. 4. §. feudum. q. 24. Motz. d. l. n. 110. hoc tamen juxta Interpp. tunc locum habet, quando injustè incarceratus detineatur, 2. F. 7. §. ego juro. verb. si injustè 2. F. 26. §. licet. verb. inde quaesitum. Jul. Clar. d. l. §. feudum. q. 24. n. 2. Schultz. c. 11. n. 44.

#### CONCLUS. XXIV.

Quæ verò ejus jura atque res concernunt, sunt, si justitiam Domino facere neglexerit, (a) vel servitia debita facere detrectaverit, (b) investituramque justo tempore non petierit, (c) vel canonem tempore lege definito non solverit. (d)

(a) 2. F. 24. §. item qui 2. vers. illud tamen. juncto vers. honestum. verb. ne sit ei damno de sua justitia, 2. F. 6. Motz. d. l. n. 205. Justitiam autem facere negligit, si in judicio parium curiæ, lite inter Dominum & Vasallum, mota, dolo iniquè & injustè sententiam dicat, vel planè

D

justi-



justitiam administrare renuerit. Wenn er ihm das Recht versagt oder ihm darzu nicht verhelffen wil. Aut etiam si Domini edictis evocatus planè per contumaciam non venerit & se sistere abnuerit *Rosenthal. c. 10. conclus. 24. cum seqq.* Plura qui cupit antea alleg. Aut. adeat ad quos eum brevitatis causâ remittimus. (b) Hæcque enim primaria est causa perditionis 1. *F. 21. pr. vers. vel si dominus. & per 1x. 2. F. 24. §. item qui 2. vers. sed non est alia.* Primario enim Vasallo Dominus concedit feudum propter servitia 2. *F. 23. fere in fin.* si enim hæc facere denegaverit omninò feudo privatur, cessante enim causa, cesset omninò necessum est effectus *arg. l. 1. & t. t. C. de donat. qua sub mod. condit. & c. & t. t. ff. & C. de condict. caus. dat. caus. non secut.* Causa autem feudi est servitiorum præstatio, *dd. 1xx.* ea verò deficiente deficit omninò effectus, qui est feudi possessio *Rittershus. d. c. q. 47.* Idem J. SAX. dispositum legitur *per gloss. ordinar. lib. 1. Landrecht art. 14. ad verb. Es ist allein sub n. 3. in f. verb. Zum letzten verliert ein Mann sein Lehn/ wenn er seinem Herrn die Pflicht oder Dienste nicht leistet/ darumb ihm das Gut gegeben oder geliehen worden ist: Ad hoc tamen ut denegasse servitia dicatur, necessariò requiri putamus legitimam Domini ad servitia præstanda requisitionem 1. *F. 21. pr. 2. F. 26. §. licet. Schnobel. D. F. 10. §. 28.* Dein etiam per justam causam impeditus excusabitur 2. *F. 24. §. item qui, verb. alia autem. Schultz. c. 11. n. 54.* ubi ex Obrechtò ad hoc ut ob non præstata servitia vasallus feudum amittat requisitoria recenset. (c) 2. *F. 22. in pr. 2. F. 24. & 40. §. fin.* sive Vasallus ipse sive etiam ejus hæres tempore lege destinato quod semper est annus & dies *Carpz. l. 6. Resp. 84. tit. 18.* nec hic admittimus quorundam distinctionem inter Vasallos actu militantes, & non militantes, illis tribuen-  
tes*



tes tantummodo diem, non verò hisce *Dn. Struv. cap. 10. apb. 7.* dies autem ibi non sumitur naturaliter, sed civiliter, qui plures sub se comprehendit, & ideò is adjectus est dies, ne præcisè intra annum investitura peti debeat, sed ut aliqua concedatur relaxatio, unicus enim dies annum vix excedit, nullamque ferè continet relaxationem. Dies more Longobardor. quid contineat, videri potest *2. F. 22.* quod etiam de J. Sax. patet, ubi per diem non intelligitur unicus, sed 6. septimanæ cum tribus diebus *lib. 1. Lehnrecht. art. 28. ubi gloss.* ita eodem Jur. renovationi investituræ annus & dies concessus est *c. 22. per Lehnrecht* qui dies per sex septimanas explicatur *c. 25. Lehnrecht.* hocque tempus invito Vasallo Dominus coarctare nequit *arg. l. 4. §. 5. de re judic. l. 74. l. 186. de R. J.* Hic annus autem tum demum currere incipit, si ad successoris scientiam feudi vacatio pervenerit *Ritterh. d. l. q. 44.* Excusatur tamen Vasallus justis munitis causis, ne contra eum hoc annale tempus currat, quæ videri partim possunt *ap. Myn. sing. cent. 5. obs. 9.* ubi dicit, terminum legalem nunquam esse peremptorium, si legitimum adsit impedimentum *Schultz. c. 11. n. 49.* Item habens feudum rusticum, in quibus tam præcisè hoc non attenditur, licet hi hoc tempus non observaverint. Alias tempore hoc effluxo Vasallus moram suam purgare, pœnamq; amissionis effugere minimè poterit, *teste Giphon. D. F. 8. n. 13. Niell. D. 8. §. 4.*

(d) Quamvis variè in hoc dissentiant Dd. tamen nobis hic arridet affirmativa: Ratio quia is canon præstatur vel in vicem servitiorum, aut tantum in recognitionem Domini; illo casu, si dolo vel in Domini fortè indigentis perniciem dare abstinuerit debitum canonem, feudo eum privari posse nemo dubitabit, ille enim canon debetur instar servitiorum *arg. 2. F. 24. §. sed non est alia 2.*



*F. 55. §. firmiter.* Hoc verò casu feudum convenit cum emphyteusi, adeoque etiam si annua pensio non solvatur, intra triennium omninò feudo cadit *arg. l. 2. C. de jur. emphyt. c. fin. de locat. conduct. l. 32. de episcopal. aud. Novell. 91. c. 2. in fin.*

### CONCLUS. XXV.

Ratione extranei omissione peccat Vasallus, si subditis non rectè administret jus,

Denegatio enim juris est suppressio subditorum, si enim fortè Vasallus pro eo, quod subditis debeat administrare justitiam, in eos nimium sæviat, eosve exactionibus, servitiis, oneribus insolitis ac indebitis premat, excoriet, in vincula conjiciat, vel aliter acerbè cum justitiæ defectu tractet, omninò feudo indignus est. *arg. §. f. Inst. de his qui sui vel alien. jur.* Alias quamplurimas causas, quæ multis contingere possunt modis, quibus feudum justè adimi potest solers ac discretus Judex juxta æquitatem & officium suum providere debet, an expressis similes sint, an illis etiam majores & graviores, ut propter unam & alteram feudo sit privandus *2. F. 24. §. 2. vers. predictis.* Quod verò iisdem de causis, quibus filius exheredari, matrimonium dissolvi potest, Vasallus feudo privandus sit, prout à nonnullis pro regula tenetur, veritati congruè haud putamus cum *Rittersbus. lib. 2. c. 5. q. 3. Schultz. c. 11. n. 56.*

### CONCLUS. XXVI.

Jam pervenimus ad Dominum, (a) qui propter easdem causas proprietate feudi privatur, quibus Vasallus utilitate. (b)

(a) De quo generalem regulam sufficere putamus, nec esse è re, ut ea omnia, quæ de Vasallo dicta, repetamus, ac ita crambem bis coctam apponere videamur. (b) *per express. tx. 2. F. 26. §. Domino committente. 2. F. 47.* & tunc Vasallus plenum acquirit dominium: Quamvis enim Magistratus in subditos suos Jurisdictionem & potestatem habeant,



ea tamen minimè abuti debent, Reipubl. enim interest, ne quis re sua malè utatur §. 2. *Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt*, quod certè faciunt Domini modum in exigendis servitiis excedentes, inque subditos suos savientes, quorum tamen jura & libertatem potius promovere tenerentur, ita etiam haud ineptè malè tractans Vasallus re suâ male uti dicitur *arg. d. §. 2. Gail. 1. obs. 17. n. 5.* accedit & hoc, quòd Dominus ad paria Vasallo sit obstrictus, vel juxta Feudist. vicem fidelis reddere debeat 2.F. 6. *sub fin. vers. Dominus quoque add. Schenck Baro à Tautenb. in tit. de pace tenenda §. publici latrones in fin.*

### CONCLUS. XXVII.

Coronidis loco non incongruè quæritur an Vasallus ob feloniam commissam ipso jure vel per sententiam Judicis demum feudi jure cadat? posterius cum communi Dd. schola affirmamus.

*Express. tx. 1. F. 21. pr. & 22. in fin. pr. verb. damnetur, arg. l. 167. ff. de Reg. jur. & ratio esse potest generalis, quod nulli in jure Feud. ipso jure dominium utile dicatur reverti ob Feloniam ad Dominum, accedit & hoc, quòd Domino 1. F. 21. detur conditio causa data causa non secuta, qua actione sibi quis petit restitui rem, cujus dominium est penes alium, toto tit. ff. de condit. caus. dat. caus. non secut. accuratè docente Magnif. Dn. Struvio S. 7. F. 6. 15. ubi latius deducit Carpov. Jurisprud. forens. constit. 27. part. 3. definit. 12. & part. 2. definit. 18. & 19. constit. 45. Rosenthal. c. 10. conclus. 41. n. 5. Hartm. Pistor. part. 2. q. 31. n. 2. Schulz. c. 11. num. 58. Ibiq. plur. allegg. Et quamvis quidam excipiantur casus, ut si irrequisito Domino feudum alienaverit, tamen sententia Judicis declaratoria omninò requiritur Dn. Struv. d. l. n. 6. Wesenbec. consil. 176. n. 7. hoc etiam confirmatum est Respons. Illustris*

*Scabinatus Jenens. mens. Decemb. 1620. & mens. August. 1650.*

*Tantum pro instituti ratione.*

D 3

Illu-



**I**llustris magniq; Viri (*quem  
Jena colebat*  
*olim, summoperè nunc Aula excelsa potentis  
suspicit Octoviri*) suasû felicibus au-  
fis  
ascendis cathedram, doctâ  
plaudente catervâ  
pandis & ingenium promptû,  
hoc generosa meretur  
præmia, sic magni Tibi pan-  
ditur orbita Fati.

GENEROSO

DN. A U T O R I

*amicâ m. & m. gratulat.*

Johann Volk. Bechmann/D.  
& Præses.



**Q**ui manet atque CRUCI sa-  
cræ, Dominoq; fidelis  
Optimus hîc, isthic, ille  
Vasallus erit.

*Generoso Dn. Resp.  
Fautori & Amico suo honoratissimo  
Commensali suavissimo gratulab.  
deprop.*

Erh. Weigelius, P.P.

---

### Sonnett.

**S**ie Themis / derer du dich ganz und gar er-  
geben  
Sah' neulich deinen Fleiß mit holden Augen  
an ;  
Und schloß / Sie wolte dich zu höherm Lob' er-  
heben  
Und zeigen was dein Geist voll Feur und  
Himmel kan.

Sie



Sie wolte weil du ihr statts wirst zu Dienste le-  
ben/

Dich führen auff den Platz der hohen Ehrens-  
Bahn/

Da dein beraubter Sinn solt in dem Lichte schwe-  
ben

Befreyt von trüber Nacht und falscher Dün-  
stige Wahn.

**D**is thut sie wenn sie dir dis Werck zu Sin-  
ne bracht

Das deinen Fleis und dich noch weit berühmt  
ter macht;

Dis Werck das deinen Stamm und die berühm-  
ten Ahnen


Das Schild/ und Helm und Schwert und alte  
Wappenfahnen

Durch deinen Ruhm erhöht/und Augenschein-  
lich weist

Das keiner dis gemacht als ein Hochedler  
Geist.

Mit diesem wenigen habe meinen werthen Freunde und  
Stubengesellen wohlmeinend gratuliren  
wollen

Nicolaus H. Beck, J.U.S.





Jher, Diss, 1669

ULB Halle 3  
002 382 385




S. 6.

WDA









2348.

1669, 6

f. 8

Q. D. B. U.  
 Magnifici & Nobilissimi Jctorum Or-  
 dinis consensu in incluta hac SALANA  
 SUB PRÆSIDIO *M*  
 VIRI  
*PraNobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atq. Ex-  
 cellentissimi*

DN. JOH. VOLK. *Bechmanns/*  
 Hereditarii in Obern-Tröbra / Jcti &  
 Antecessoris celeberrimi, Consilarii Saxonici emin-  
 tissimi, Curia Provincialis, Facultatis suæ & Scabinatus  
 Adessoris gravissimi,

Domini Præceptoris & Patroni  
 æternum colendi,

ENUNCIATA LEGALIA *141*  
 DE

# FELONIA

*publica eruditorum disquisitioni subicit*

GEORG. von Kreuz / Eques Variscus,  
 In Auditorio Jctorum

a. d. April. An. M. DC. LXIX.

JENÆ,  
 Typis JOHANNIS WERTHERI.

4

